DISPUTATIO MEDICA 12

DE

RHEUMATISMO.

AUCTORE THOMA INGLE.

QUAEDAM PRAEFANDA.

PROPTER coelum Britannicum varium et mutabile, subitoque ex humido siccum, ex aestuoso frigidum, nostrates morbis omnibus acutis et praesertim inflammationibus maxime patent. Hinc medicorum plurimi interest haec genera morborum proprie scrutari et cognoscere.

Longe saepius medici his morbis, scalpello rite et tempestive admoto, imperant, non

Edinburgh 1814



serviunt; certeve saevitiam eorum valde debellant. Interdum tamen, medicina frustra renitente, longi, sive *chronici* fiunt. Qua forma instructi vitam contristant, etiamsi non extinguunt. Exemplo perinsigni hujus rei sit ille artuum morbus, cui nomini a medicis Rheumatismus inditur, quemque argumento hujus libelli selegi: qui eheu! nimis saepe ipsam lucem et coeli spiritum cruciatu acerbissimo non patibiles reddit; nec occisurus, nec tollendus.

Quum medici summi nominis minime idem sentiunt, aut de mali propositi natura et causa continente, aut de remediis, a nemine medicinae studioso alienum esse potest, tantam rem acriter anquirere. Mihi equidem in animo est, nihil novi edere professo, fontibus alienis, non propriis uti et inniti.

Non nisi media circiter parte seculi decimi septimi exacta, Rheumatismus cognosci et intelligi coepit. SYDENHAMUS eximius,

primus omnium, lucide et satis evidentibus notis eum ex *arthritide* discrevisse videtur: cujus sane priores medici morbum, quem prosequor, formam propriam habebant; et unum cum altero confundere solebant. Ballonius quidem, priusquam floruit Sydenhamus, hujus mali meminisse videtur; at minus clare et accurate. Gregorius narrat inter praelegendum, Boerhaavium non ante idem novisse aut observasse, quam ipse ejus dolores cruciantes subiisset: et quoniam fere octo menses aegrotaret, occasio ei non defuit, signa et naturam hujus morbi probe notandi et comperiendi. Ex quo hi viri inclyti scripserunt, permulti auctores luce ampliore ejus naturam collustrarunt.

DE DEFINITIONE.

SAUVAGESIUS, SAGARUS aliique scriptores hoc malum definiverunt. Quibus CULLENUS sine dubio in ea re antecellit. Rheumatismum ad ordinem *Phlegmasiae*, classis *Pyrexiae* retulit. Dum alii duas species proponunt, nempe Rheumatismum Acutum et *Chronicum*, CULLENUS contra hos uti genera constituit; et hunc *Arthrodyniam*, illum *Rheumatismum* vocavit. Sic Acutum definivit:

"Morbus ab externa, et plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

Varias sedes ejus memorat; et alia atque alia nomina adhibet, prout huic illive parti insideat. Quoties lumbis inhaeret, *Lumbaginem* vocat; si coxis, *Ischias Rheumaticum:* si musculis pectoris, *Pleuritidem Spuriam*, vel *Pleurodynem*. Denique, *Hemicrania* nominatur, si capitis musculos plectit. Ita vero *Arthrodyniam* definivit:

"Post rheumatismum, nisum violentum, vel subluxationem; dolores artuum vel musculorum, sub motu praesertim, aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati; artus debiles, rigidi, facile, et saepe sponte frigescentes; pyrexia nulla; tumor plerumque nullus."

Multi dubitarunt, necne *arthrodynia* recte classi *Pyrexiae* subjiciatur. Istas enim voces "pyrexia nulla" ipsa definitio complectitur. Hanc difficultatem Cullenum haud latuisse docent ea, quae jam citanda conscripsit. "Si, ut quidam statuunt, rheumatismus

chronicus ab acuto genere omnino diversus sit, nomen simplex, uti genus omne, habere oportet, et hujusmodi nec ineptum, ut puto, imposui. Porro, cum pro sequela rheumatismi acuti vel rheumatismi simpliciter dicendi, rheumatismum chronicum dictum semper habeo, et cum inter utrumque morbum saepe limites vix statuendi sint, ideoque pro diverso genere rheumatismum chronicum recensere vix potui. Rheumatismus tamen chronicus exquisitus ab acuta natura adeo diversus evadit, et medelam adeo diversam exposcit, ut merito nomine prorsus diverso insigniri possit; et si quis pro genere etiam diverso ponere velit, per me profecto licet *."

---

* Cullen's Synopsis Nosologiae, p. 246.

DE MORBI SIGNIS.

Hic morbus acutus ab eodem longo notis alienissimus est; adeo ut uter adsit, vel inexpertus fere statuere possit. Subinde vero tam sunt inter se consimiles, ut non facile mali natura patescat. Cullenus notat non semper esse manifestum, quando acutus finitus in longum abeat. Sequitur ut acuti notas proferrem.

Rheumatismus ex iisdem signis, quibus aliae inflammationes, incipere solet, doloribus simul vagis totum fere corpus occupantibus. Interdum febris dolorem, alias dolor febrem antecedit ; frequentius profecto febris prius, quam alia indicia, exercet. Gregorius testatur aegrum aliquando duos vel tres dies ante morbi ipsius impetum vehementer febricitare. Febris autem ardentis-

sima est: cutis praeter naturam incalet: aeger sitit, membra jactat, noctu vigilat, et summa anxietate torquetur. Arteriae paulo postea validius et celerrime moventur; imo vero centies et vicies, aut centies et quadragies intra sexagesimam horae partem. Aliquando tamen naturae convenienter saliunt. Vultus plerisque rubet et tumet; alias praeter solitum pallet: hic pallor et motus arteriarum parum mutati inexpertos a sanguine mittendo saepe deterrent: qui ita unicum pene remedium adjuturum perperam omittunt. Lingua sorde crassa et alba foedatur. Dolores antea leves et vagi, nunc vix ferendi cruciant; aeger motus quam minime impatiens inde saevissimo dolore affligitur; nec partem affectam opprimi, imo vero stragulis ipsis tangi, sustinet. Si malum leniter incumbit, dolor artu uno continetur, non palaturus: quod si valetudo vi malorum perturbatur, et aeger perquam febricitat, plures artus simul laborant. Dolores non diu uni articulo haerere consuerunt; at crebro

hinc illuc migrant: parte, quam reliquerint, dein tenera et tumida futura. Nonnunquam idem membrum bis terve repetunt; quod si accidit, mala diutina fore judicandum. Venae partis affectae plus aequo sanguine turgere conspiciuntur: ipsa leviter erubescit, et manu imposita, insigniter ardere sentitur. Aeger aliquando sensum quasi partis inflammatae palpitantis, dolentissimumque, conqueritur; et ejus arteriae alienae manui admotae violenter subsiliunt. Febris nunc incitatissima urget; hominem, ni tempestive debelletur, protinus absumptura. Eadem saepius ardens, quae *synocha* vocatur, subinde tamen *typhus* est *. Vespertino tempore febris ingravescit, et dolor acuitur, non unicae sedi infixus; sed ex alio alium articulum petit, fibris musculorum permeatis. CULLENUS nos edocet dolores eo noctu increscere, quod corpus stragulis crassioribus et fere laneis velatur: at GREGORIO potius

* Vide Willan's Reports on the Diseases of London, 1801, p. 154, et seq. Etiam Saunders on Bark, p. 78.

assensi, hanc rem ei legi tribuimus, qua corpus vesperi et noctu concitatur, ideoque omnes morbi acuti tunc acerbantur. Persaepe enim summa cutis haud minus interdiu, quam noctu incalescit, dolor autem multo mitior angit.

Morbo jam incipiente, certeve non provecto, aeger aliquantum sudat, at non fuse, nec ubique aequaliter. Partes enim affectae non hument. Hi sudores fere nunquam signa leniunt, ideoque jure minimi aestimantur.

Urina principio rufa et pellucida redditur: malis inveteratis crassa fit: et ex ea sidit aliquid rubri et lateritii; praecipue quando febris remissior subest. Neque vero judicandum, his signis prodeuntibus, morbum illico esse discutiendum, ejusve impetum omnino frangi. Diu enim trahere saepe observatur, nihil obstante urina opaca et nubeculis obscura.

Alvus pigerrima esse consuevit: modo equidem fluit, sine ullo incommodo.

De una proprietate non silendum; cerebrum nimirum perraro turbari: hominem fere non delirare, et mente integra gaudere. At vero perpetuis praeceptis ars medica pene vacat. Delirium subinde, febre effraena, accidit. Quidam mihi amicissimus triduum delirabat, hoc morbo correptus.

Instrumenta concoquendi minus laborant, quam aliis morbis pari febre stipatis urgentibus. Aeger cibos appetit, uti integer consueverat; et parci tenuisque victus, qualem natura mali flagitat, eum piget et taedet.

Nullis pene musculis hic morbus parcit; paulo rarius sane torquentur musculi abdominis: nec saepe gula, ventriculus, intestinum et vesica.

Metastasis, id est, ejus actionis singularis, qua morbi hinc illuc transferuntur, morbus, de quo agimus, exemplo est luculento. Unicuique pene eo aegrotanti, dolores ex improviso, artu uno relicto, alium aggrediuntur; nempe, brachio relicto, crus; humero, femur; manuve, pedem. Literis mandatur eos jam abeuntes in inflammationem cerebri, cordis, pulmonis, aut alius visceris desiisse. SUTTONUS * nos certiores fecit sibi ter contigisse, idque intra brevissimum spatium temporis, cerebrum, artubus jam rheumatismo liberatis, inflammatum testari; et cor persaepe hoc ipso tentatum curare. Duos homines novi, quibus, uti videbatur, *hydrothorax* finito rheumatismo supervenit. Cadavere unius inciso, capsula cordis et *pleura* praeter consuetudinem latice scatere compertae sunt, et cor aequo esse grandius. Aliundene, an ex morbo articuli intus transducto ortus est hydrops?

---

* Vide Med. and Phys. Jour. (London) vol. xxx, p. 364.

Ut ad propositum redeam, quum notae supra dictae diutius aut brevius perstiterint, demum inclinari coeperunt. Febris, (quae raro ultra diem quartum decimum aut vigesimum producitur, aut ante sextum septimumve mitescit), tandem remissior fit. Dolor antea acerbissimus, nunc hebetior exercet, et uni, pluribusve membris infigitur. Totum corpus aequaliter insudat: ex urina praeceps fertur natura lateribus in pulverem redactis consimilis. Arteriae tardius et lentius micant, linguaque nitet et madet. Quibusdam cutis efflorescens, aut sanguis e naribus aut alia parte prorumpens, morbum solvit; certeve efficit ut non diutius acutus urgeat. At minime celandum, frequentius acutum hoc malum *arthrodynia* finiri; maximeque curante imperito. Hucusque absoluto proposito, proximum est ut notas *Arthrodyniae* considerem.

DE SIGNIS ARTHRODYNIAE.

QUUM *Arthrodynia* morbo supra relato supervenit, dolores, sublata febre, mitescunt ; et in unam fere partem, veluti genu, carpum, humerum incumbunt. Non quod non interdum, ut antea, aliam ex alia parte adoriuntur ; sed hoc expers febris accidit. Partes dolentes obrigent, languent, et aqua intercute intumescunt : porro frigescunt, quoddammodo torpent, nec facile sudant. Quod si sudore madefiant, hic gelidus est et viscidus, caeteris partibus madore tepido et refecturo superfluentibus. Calor dolores mitigat, aliter atque acuto *rheumatismo* vexante. *Arthrodynia* hisce notis insignita persaepe diutissime angit ; denuo serius ocius lentissimo et vix percipiendo pede cessura, et articulos imbecillos iterumque facillime

sub humido et frigido Jove passuros, relictura.

At vero non semper notae supra propositae finem malis imponunt; deterioraque sequi possunt. Nonnullis aegrotantibus, ob genus nervosum tanto cruciatu praegresso diu irritatum et quasi contritum, membra sentiendi et se movendi fiunt pene impotentia, et tantum non ipsa *paralysi* resolvuntur. Aliquando duobus articulis fere invicem nexis, *anchylosis* constituitur: modo artus rigent, humore glutinoso in telam cavernosam aut tendinum vaginas effuso. Hoc vitium idoneis auxiliis resolvi poterit, et motus restitui. Ipsa autem *anchylosis* nulli arti medicabilis est.

Si corpus struma inficiatur, rheumatismus eo articulos irritat, ut inde persaepe *hydrarthrus* gigneretur. Quo perspecto, consulto et mature facto opus esse constat, quo-

ties tam dirum vitium instare videatur, ne opem serotinam afferamus.

Lumbago, *sciatica* et *pleurodyne*, ut jam retulimus, sunt non nisi *rheumatismi* certis partibus affixi exempla. Notae et curatio fere eadem, quae huic aliis sedibus praesenti, aliisque formis donato, illis conveniunt; ideoque sermonem fusum plane non desiderant.

Non licet hanc argumenti partem ante absolvere, quam ea protulerim, quae vir praeclarus DUNCANUS *, de hoc morbo inter praelegendum edocere solet. Rheumatismi cursum quadruplicem proponit, vel in partes quatuor diducit : has nominat, I. Rheumatismum *Inflammatorium*, eundem nempe, quem alii Acutum vocant. II. *Irritabilem*, cui dolor calore intenditur, ast febris abest; quique creberrimus est, maximeque apud urbanos. III. *Atonicum*, id est *Arthrodyniam*.

* Audi Praelectiones Clinicas Duncani.

IV. *Paralyticum;* scilicet, ubi *paralysis*, aut vitium ejus simillimum accedit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

DUAE praesertim sunt noxae hujusce morbi genetrices, nempe frigus et humiditas; praecipueque coelum frigidum et humidum. Hae vero eo potius et facilius alicui eum inferunt, si prius vehementer incaluerit. GREGORIUS alia eam causa unquam exoriri negat: CULLENUMque idem sensisse docent hae voces, "ab externa et plerumque evidente causa." Autumno et vere potissimum corpora in hoc malum incidunt; quippe quibus contingit Jupiter nubibus, imbribus et frigore malus, et repente ex alio alius. Nulla autem anni tempestate non saevit, modo coelum istiusmodi sit. Pleni, validi et sanguinei, puberes simul, nondumque aetatem mediam

transgressi, prae caeteris ei patescunt. Infantes et senes tantum non sunt immunes. Seniores *arthrodyma* potius aggreditur. Homio judice, mulieres prae maribus opportuni sunt. Cui HAYGARTHIUS parum assensus, tanto plures viros quam foeminas eo aegrotare scribit, quanto numerus 4 exsuperat 3; quod laboribus sub dio, et vivendi rationi, quae viri sequuntur, tribuit. Rheumatismus regiones sole torrido exustas accolentibus vix notus. Si qui vero ex his eo torquentur, prius fere in terris gelu pigris aut modica temperie donatis habitaverant. Praeparata ex argento vivo diu adhibita ad morbum veneris, aut alia valetudinis adversae genera depellenda, efficiunt ut corpus mobilius et debilius factum, frigidae humidaeque tempestatis minus sit patiens. Quo fit ut *syphilitici* doloribus artuum haud raro conflictentur. Quem semel *rheumatismus* male habuit, is eo facilius recidit, admota noxa. Quos diu et saepe torserit, his dolores articulorum vagi coelum humidum et pluvias jam instare ostendunt.

DE CAUSA CONTINENTE.

Quod ad causam continentem, hic morbus fibris tendinum et musculorum inflammatis, et fortasse ligamentis constat. Haec inflammatio aliis eo distat, quod non *suppuratione* et *gangraena* finitur. Res sane notissima est eandem actionem morbidam alias atque alias notas exhibere, prout varient fabricae et munera partium, quas adoritur. Hinc cuti accidens inflammatio, vesiculas, telae cavernosae abscessum, &c. fibris musculorum, *anchylosin*, &c. progignit. Quare tamen ita se res habeat, hucusque latet, et fortasse diu latebit.

DE DIAGNOSI.

Rheumatismus acutus indiciis satis evidentibus praedicatur; adeo ut ne imperitus quidem facile erraret. Interdum tamen valde aliquos morbos simulat, aegre ab iis discernendos; maximeque *chronicus*. Imo vero acutum a longo dignoscere subinde paulo difficilius est; nec semper illius finem ab hujus initio clare discernere licet. Febris huic nulla, optime ut opinor eum praedicat. Nonnulli, si dolores calore augentur, putant, alium dignoscere ab alio se posse. Duncanus vero edocuit mediam esse *rheumatismi* formam his quasi interjectam: *irritabilem* scilicet; cui febris experti dolores tamen calore acuuntur.

Si dolores vagantur, si noctu plus exardent, et febris adest, articulique rubent et tument,

acutum subesse constat. Quod si deest febris, artusque decolores rigent, algent, nec insudare possunt ; eoque magis, si dolores frigus intendit, tepor mulcet, *arthrodynia* plane urget.

Morbus, quem prosequor, subinde *podagrae* sibi speciem induit. Ille juventa et viribus florentes, haec senes, luxuque et intemperantia confectos, et ignavos tentat. Illi dolores gradatim accedentes grandioribus artubus incidunt, genubus, coxis, humeris, cubitis, et carpis ; haec adinstar fulminis ex improviso corripit, articulos minimos pedum manuumque affectura. Vires concoctrices huic infirmantur instanti et urgenti, illi fere integerrimae sunt. Huic porro inveterascenti persaepe, illi nunquam, calculi in articulis fiunt, et cerebrum, pulmo et cor, &c. crebro afficiuntur.

Medici vel exercitati aliquando *rheumatismum* cum doloribus morbo veneris orium-

dis confundunt: qui magis uni sedi affigi solent, eique altiori: quippe qui haud raro ossibus vitiosis debentur, et horum praecipue mediis partibus. Alia quoque *syphilidis* confirmatae indicia hos comitantur; scilicet angina, cutis maculis cypriis obducta. Quibus perspectis, patebit mali natura. Huc accedit, quod medicamina in *rheumatismum* idonea, hic nihil omnino valent. Tumor porro uni longe alius est quam alteri; nec eaedem partes utrique tument; morbo enim, de quo agimus, fines artuum praecipue ampliantur, *syphilidi* partes finibus interjectae.

Lumbago a *nephritide* dignosci poterit, nulla urinae difficultate, nec mingendi crebra cupiditate, aliisve renis inflammati propriis. Illi dolores premendo et lumbis quam levissime motis exasperantur: huic nequaquam. Cullenus notavit dolores *rheumaticis* consimiles abscessibus profundis oriri posse; adeo ut ad *lumbaginem* vel *ischias* pertinere videantur. At febris *hectica*, quae fere adest, sen-

sus gravitatis, et molestiae, potius quam dolor; qui parum motu manuve premente augetur, vetant quo minus fallatur medicus.

Pleurodyne notas habet, unde facile a *pneumonia* discerni posset. Dolor enim exteriores pectoris partes invadit, premendo et brachiorum motu acuitur, fibras musculorum permeat, desuntque tussis et sputum.

DE PROGNOSI.

Nosse juvat raro *rheumatismum* ipsi vitae perniciem minitari; nisi alii morbi accedunt, aut ad partes interiores transfertur. Si pars affecta *erysipelate* efflorescere coepit, et vesicas sibi praefert, quod equidem rarius accidit, eventum infelicem jure auguramur. Si aeger delirat, et febris ardet praeter modum, timere oportet. Si febris *typhi* sibi speciem induat, fere desperandum est. Si corpus se-

nio aut prava ratione vivendi contritum fuerit, exinanitionem morbo subigendo idoneam perpeti non poterit; quo fit ut aeger in praecipiti sit, et ad aquam intercutem propensus.

Rheumatismum acutum feliciter cessurum opinamur, si tota cutis aequaliter sudore tepido madet, si febris inclinatur, arteriae mollius et tardius saliunt, si urina crassa et multa fluit, somnusque et cibi cupiditas redeunt. Bona quoque sunt, cutis alicubi efflorescens, alvi fluxus et sanguinis cursus.

Ubi hic morbus acutus diutius plexerit, *arthrodyniam* acerbissimam futuram praesagire oportet; de cujus eventu medicus consilii dubius saepe haeret. Qualem finem sit habitura, non nisi effectu remediorum acriter observato, judicandum erit. Si haec parum aut nihil moliuntur, si dolores pertinaces figuntur, si membra frigent et torpent, et sudore gelido humectantur, vel sanationem serissi-

mam, vel, quod pejus est, diram *paralysin*, accessuram verisimile est.

Quandocunque dolor conquiescere incipit; quum membrum affectum moveri minus taedet, idemque tepore jucundo fovetur, et prurit, salutem in propinquo esse convenit.

DE RHEUMATISMI ACUTI CURATIONE.

Imprimis et potissimum cor et arterias concitatas sedare et inflammationem subigere oportet. Quem in finem sanguis mittendus, si ratio virium sinit et signorum postulat; omniaque, quae deplendo et sedando accommodantur, servari debent. Eo plus minusve sanguinis eliciendum, prout requirat aetas, vires, signa, et vita prius habita. Plerisque unciae xx aut xxx prima vice recte detrahuntur, dummodo medicus satis mature

venerit; vim enim ineuntis impetus frangunt. Si, hoc facto, pars adhuc acerbe dolet, motusque arteriarum plenior, durior et citior est, et sanguis missus ista tunica corio simili velatur; eodem die, aut certe postridie, iterum, icta vena, sanguinis uncias xii aut xvi elicere proderit. Arteriae et vires, potius quam sanguinis species, necne vena iterum secaretur, docebunt. Huic legi insistere non alienum foret; nempe, quod sanguinem non ante educere desistamus, quam arteriae eo conquieverint, ut non amplius nonagies vel centies intra partem horae sexagesimam moveantur. Quibus morbi priores, aut aliae causae valetudinem contriverint, tutius erit hirudinibus aut cucurbitulis impositis sanguinem abstrahere, quam venas totius corporis subito vacuefacere. Exulcerantia quoque utilia erunt. Ubicunque febris domita est, dolores immoti una sede continentur, et saeviunt. Nulla ope melius aegro succurritur quam *emplastro meloes vesicatorii* imposito. Si exinanientibus ineptis, et inutilibus, arteriae concitari per-

stant, ad *digitalem purpuream* confugiendum: cujus *tincturae* guttae x, xv aut xx sexies quaterve indies ministrari possunt. Multis haec herba opitulata fuit, quos caetera omnia nihil juverant.

Hisce absolutis, proximum est ut alvus, si tardetur, vacuefiat. Sales medii alvo purgandae accommodati sic dandi sunt, ut semel bisve quotidie haec descendat. Nonnulli alvum ducere malunt: contendunt enim aegrum saepe loco dimoveri et turbari medicamentis; quae scilicet eum crebro assurgere, ut dejectum iret, cogunt. Credo tamen fructum inde perceptum tantum esse, ut hoc incommodum nihili haberi oporteat. Alvo depleta, medici fere omnes sudorem medicamentis elicere consuerunt. Usitatissima ex his sunt *vinum tartritis antimonii*, et *pulvis ipecacuanhae compositus.* Huic nullum aliud antecellit, acuto *rheumatismo* saeviente. Ad eundem finem, *camphora*, *ammonia*, *aqua acetitis ammoniae* adhibentur. Medici, quorum

est copiis militaribus Britannicis consulere, aquam *nitrate potassae* et avena imbutam praecipiunt; horum unciam unam, illius libris octo vel decem solvunt. Attamen non licet prius sudorem moveri, quam arterias multum sedaverimus. Ne ue multis incommodis sudoris moventia carent, et nonnunquam spem prorsus ludunt. Corpus infirmant et extenuant; faciuntque ut cutis irritabilior minus sit frigoris patiens; eoque homo facile in mala relabatur. Quod si visum fuerit iis uti, inter ea ministranda aeger panno laneo vestiendus est, simul atque insudare coeperit (non antea, ne vomitus cieatur,) et potus tepidi, blandi, et diluti large sunt bibendi. SUTTONIUS * contendit sudores diutius excitatos, salutem potius impedire quam adjuvare; et reprimendos esse monet, ni exactis horis duodecim clare profecerint; vestes nempe laneas exuendas, praeparataque ex *antimo-*

---

* Vide Med. and Phys. Journ. vol. xxx, p. 365.

nio, &c. omittenda. Dein *acidum sulphuricum* aquae, quae fervens *rosae Gallicae* infusa fuerat, adjectum, ministrari jubet, pauxillo simul *sulphatis magnesiae* dato, si alvus pigrior requirat. Sin minus, hoc mittendum. Idem medicus partes dolentes refrigerari imperat: quo consilio *misturam camphoratam, Pharm. Lond.* extrinsecus admovet. Tali curatione contendit, (exinanientibus sane idoneis prius non neglectis), hunc morbum octo decemve diebus penitus domari. Medici Russici eundem partibus affectis refrigerandis ad exitum optatum perducunt; nivem aut glaciem tritam caeteris huc accommodatis anteferunt.

Opium a quibusdam nocere putatur; alii eo praecipuo in hoc malum acutum auxilio nituntur. Febre jam quiescente, et intestinis depletis, opium, ad dolores consopiendos, tuto et utiliter adhibetur. Idem *vino tartritis antimonii* junctum vesperi sumendum.

Scottius * opium vi propria seu *specifica rheumatismi* acuti debellandi praeditum esse existimat; contendit enim potissimum omnium oportere, genus nervosum nimis irritabile et sentiens hebetare; et opium aliis omnibus id melius exequi. Adjicit modos ejus ampliores, et crebrius, esse dandos, eo ut homo torpeat; et medicum spectatum Georgium Pearsonum, opio unico uti, vacuefacientibus non praegressis, summoque fructu. In hujus medici verba jurare nequeo. Simul atque profecto hic morbus exinaniendo in eam formam vertitur, cui Duncanus nomen "Irritabilis" imposuit, tum opium ita, ut Scottius praecipit, concessum, eventum optimum habebit.

Fordycius hunc morbum ineuntem, venis non depletis, *cinchona officinali* curare solebat; quod sine dubio gravi culpa non vacat, quanticunque eam ille medicus eximius ha-

* Vide Med. and Phys. Journ. vol. xxvii, p. 286.

buerit. *Cinchona* non prius utenda esse videtur, quam febris et dolor mitescere coeperint. Quidam huic *nitras potassae* jungunt. Ubi febris abiit, sed dolor atrox exercet, semi-drachma hujus corticis ter quaterve quotidie ingerenda. Si ipse concretus fastidiatur, aqua, ex qua decoctus est, *acido sulphurico aromatico* leviter imbuta, experienda.

Hamiltonus apud Lynn-Regis medicinam faciens, *submurias hydrargyri opio* mistum plurimi facit. Ipse hoc medicamentum compositum saepe dedi; et uti videbatur, non inutiliter, at non nisi sanguine detracto. Quinque grana *submuriatis hydrargyri* uni aut duobus *opii* adjuncta tempore cubandi optime dabuntur.

Quod ad victum, oratione vix opus est; e frugibus, lacte, pane, avena decocta, fructibus maturis constare debet. Abstinendus est aeger a carnibus assis, elixis, aut frictis, omnigenoque potu meraciore. Gregorius

inter praelegendum asserit victum hujusmodi permagni esse habendum; et nonnunquam per se, non valentibus missione sanguinis et aliis deplentibus, aegrum ad sanitatem reduxisse.

DE ARTHRODYNIAE CURATIONE.

Febris huic nulla, et dolor tepore lenitus curationem praedictae alienam clare arguunt. Medici est igitur summa ope dolori et debilitati obviam ire. Hoc celeriter exequi non potest. Si ligamenta, tendines aut membranae circa articulorum fines laborant, dolor exulcerantibus crebro impositis cedet; non parti dolenti, sed proxime eam admotis. Quoties *arthrodynia* origines musculorum grandium et profundiorum tentat, *emplastrum e meloe vesicatorio* juxta eorundem fines applicare, optimo erit auxilio. Exem-

plo sit *sciatica*, quae parte inferiore femoris exulcerata persaepe fugatur. Si pars tenera est, et pressa dolet, hirudinibus et cucurbitulis cum ferramentis vacuefieri debebit; eoque potius si aegrotus robore et juventa floreat. Partes *linimento saponis cum opio*, aut *oleo ammoniato camphora* imbuto fricandae; et antea aqua tepida *camphora* infecta fovendae. Vestibus laneis et frigore vitato opus erit; efficiendum, ut alvus quotidie semel solvatur. Quibus servatis, salus fere redibit.

Ast vero subinde ludit nisus medici quaesitissimos; membra resoluta perfrigent; nec raro fines articulorum ampliantur et obrigent. Dolor nunc aliquanto hebetior, pertinax tamen molestiam summam facessit, praecipue inter ambulandum, aut partem movendam. Morbus propositus hac forma instructus dimotu est difficillimus. Partes dolentes crebro exulcerandae, et ope strigilis fricandae; eaedem porro vapore aqua fervente exorto,

quam calidissimo (modo aeger tolerare possit), humectandae sunt. Hoc horae quadrantem recte fit; terque quaterve indies. Bardsleius memoravit complures, inveteratis malis, sub hac curatione convaluisse, exulcerantibus sane et cucurbitulis prius ministratis. Eadem curatio, vi *electrica* auxiliatrice, rigorem et infirmitatem artuum sustulit. Tepidarium utilissimum est. Teporem ejus gradus nonagesimus, aut ullus inter hunc et centesimum quartum decimum indicare debet. Si vires valde labuntur, et dolor simul interioris membri partis vexat, tepidarium aegrum calefacit, turbat et quiete privat. Praestabit igitur ejus cutem summam vapore aquae fervidae circumdare, cujus temperies gradu xcvi[to] insignitur; qui sudorem facilius et melius quam tepidarium educit.

Aether aceticus, curantibus Gallicis medicis, opem tulisse fertur. *Aether* porro *cam-*

phora soluta satur artubus dolentibus affusus aegroto plurimum succurrit. Descendere in aquas Bathoniae et Buxtoniae, ubi extremae partes *arthrodynia* plectuntur, auxilio est praestanti; robur enim artubus conciliat; efficit ut impune et cum fructu aquis oceani lavari sustineant. Frigidarium incitamento est salutari, et vires erigendo, ne malum recidat, prohibet.

Medicamenta vi calefaciendi et stimulandi praedita ingeri consueverunt. Ex his resina *guaiaci officinalis* longe usitatior est. Hujus *tinctura ammoniata* praecipitur. *Oleum terebinthinae*, et aliqua ex *balsamis* summas adepta sunt laudes; at ventriculus ista ingrata plerumque respuit; nec male objiciantur, siquidem nulla facultate propria pollent. Duae librae *decocti lignorum compositi* quotidie recte bibuntur; sudorem enim lenem evocat; nec ventriculum gravat. Quoties artus tument et rigent, praeparata ex *argento vivo*, *opio* large adjuncto, ne nimium irritent

et infirment, proderunt. Partes porro tumidae *unguento hydrargyri*, cui *camphora* adjuncta est, illinendae: quo humor effusus resorbeatur. Ad eundem finem FALCONERUS *cataplasma* calidum apponendum esse contendit, e parte una calcis extinctae et duabus avenae contritae confectum; nec nisi aliquot horis exactis dimovendum. Rigor genuum et carporum raro sic tollitur. Saepe cognovi aegros ambulando, vel artu, quicunque sit, moto, expeditos. Quod dolens remedium esse fateor; constantia tamen franguntur difficultates; et motus artuum initio piger et dolens, paucis diebus expeditior fiet. At vero minime celandum motum articuli interdum omnino deleri, ob partes cohaerentes. Digiti manuum, si intumescunt et obrigent, potestatem se movendi vix unquam recipiunt. *Cinchona, oxydum arsenici*, et alia remedia in haec mala diutina ministrata, modo profuerunt, modo medicum luserunt. *Cinchona* perite et aliquamdiu concessa, equitatio diuturna citra sudorem, si fieri possit, et vestes laneae, per-

saepe hunc morbum inveteratum, qui alia et validissima auxilia devicerat, fugaverunt. Vestem arctam e corio caprino factam, linteo inter eam et cutem posito, nuperi quidam laudibus sunt prosecuti; illa nimirum cutis halitum elicit, quem hoc prodeuntem sorbet. In *paralysin*, si accedit, valentissima sunt *exulcerantia* et *electrificatio*. Quod ad victum attinet, aeger pene liber et solutus esse debet. Febre finita, ad victum solitum redeundum, dum vinolentus non sit. Semina contrita *sinapis albae*, *raphani*que radix cibo miscenda. Potui aptissima sunt vinum dilutius, aut aqua succo *citri medicae*, *supertartrite potassae*, vel *tamarindo Indica* acidula: quippe quae alvum solutam habent. Sanitate jam restituta, praeter haec, tantum opus est, ut, intima veste e panno laneo confecta, homo quam minime se frigori et coeli humidi actioni committeret.

FINIS.